



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 4. Cœlestini obitus. Lucius II. Papa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.

A. C. 1144.

§. IV.

*Cœlestini obitus. Lucius II. Papa.**Cœlest. ep. I.**to. X. Conc.**p. 1031.*

Cœlestinus Papa, non ignorans, quanta solitudine Petrus Cluniacensis inter illas in Ecclesia turbas & seditiones teneretur, datis ad eum literis certiorum fecit, quod Innocentio Papa defuncto, tertia exinde die, Cardinales Presbyteri & Diaconi in Lateranensi Ecclesia cum Episcopis & Subdiaconis congregati, Clericis populoque Romano acclamantibus, ipsum in Romanum Pontificem elegerint. Sunt ipsa Pontificis verba in epistola, sexta die Novembris data, quam, vigesima nona ejusdem mensis, in Vigilia S. Andreae, acceptam Petrus Abbas toti Capitulo prælegi iussit. Id ipsemet refert in Responso ad Papam dato, in quo gratulatur, quod dulcis pax, quæ in omnium Antecessorum ejus usque ad Alexandrum secundum electione desiderabatur, ipsius promotionem feliciter comitata fuisset. Profitetur, se ardentissime cupere eum adire, & veteris amicitiae foedus renovare. Id vero non licuit, cum fatum præmaturum anno sequente millesimo centesimo quadragesimo quarto, die nona Martii, Cœlestinum Papam e vivis sustulit, postquam menses quinque & dies tredecim Pontificatum obtinisset. Sepultus est in Laterano.

Petr. Clun. II. ep. 18.

Unica

Unica die Sedes Romana vacavit; nam altera, decima Martii, electus est Gerardus, Presbyter Cardinalis, titulo S. Crucis in Jerusalem, dictus Lucius II. & in Dominica Passionis, die duodecima Martii, coronatus. Is patria erat Bononiensis & professione Canonicus Regularis, ab Honorio II. Papa Cardinalis & Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius creatus. Tituli sui Ecclesiam restauravit, census auxit, ibique Canonicorum Regularium Congregationem instituit. Cum Innocentius II. Papa hujus viri pietatem & in rebus gerendis solertiam exploratam haberet, eum, defuncto Aimerico, Ecclesiæ Cancellarium constituit, & moriturus ærarium omniaque Bona Ecclesiæ Romanæ eidem commisit. Ceterum Lucius Sedem Apostolicam non plus undecim mensibus tenuit.

§. V.

Ecclesia Dolensis Ecclesiæ Metropolitanicæ Turonensi subijcitur.

Lucius secundus tandem litem diremit antiquam inter Archiepiscopum Turonensem & Episcopum Dolensem de Jurisdictione in Britannia Episcopos, quam Urbanus Papa Secundus Archiepiscopo Turonensi ante annos quinquaginta tribuerat; nam Urbani sententiam confirmavit, Bulla ad Hugonem Archiepiscopum

Sæcul. XII.
A.C. 1144.

Sup. lib.
LXIV. n. 16.

Martenne.
collect. to. 1.
p. 80.